

crustatus fuerat, amovit, et subtus civitatem animadvertens, eam etiam aperuit, et Reliquias extraxit, lustravitque, atque authenticas repertas, de novo composuit, loculumque, ut prius, occlusit. Dubitatur nunc: An per tam cautam, et necessariam apositionem, Altare illud Consecrationis Sanctitatem veterem amiserit, et nova indigeat?

Propterea, relato praedicto Dubio SSmo Dom. Nostro porrecto, et S. R. C. remisso: An praedictum Altare Portatile execratum sit, et ad novam ejusdem consecrationem deveniri debeat? Eadem S. C. respondit: „Quatenus Episcopus celebraverit in supra dicto Altari, non indigere alia consecratione.“ n. 3305 die 14. Martii 1693.

Non valentibus Sacerdotibus Congregationis Missionum Provinciae Lituaniae in exercitio earundem ob deficientiam in dicta provincia Ecclesiarum et magno locorum intervallo disjunctarum Sacrum, ad quod ex Instituto tenentur, celebrare, S. C. concessit usum alt. portat. et resp. celebrandi etiam in locis non sacris. n. 3524 die 5. Aug. 1699.

#### BEATISSIMO PATRE.

L'Arcivescovo di Rossano Pietro Cilento prostrato al Trono di Vostra Beatitudine divotamente espone, che in diversi paesi della sua Dioecesi per i detenuti vi sono le prigioni, quali sono prive di Cappelle, e suppellettili sacre, per cui i medesimi non possono adempiere gli atti di religione. Vi è disposizione Sovrana però per la costruzione di dette Cappelle interne, ma per circostanze ancora non si è mandata ad effetto. Affinchè gl'inferlici racchiusi non rimangano privi della Messa ne' giorni festivi, l'Oratore prega vivamente Vostra Beatitudine volersi degnare accordargli le necessarie facoltà di poter fare erigere nella cir-

costanza degli Altari portatili nelle dette prigioni. Che ec.

„Sanctissimus, referente S. R. C. Secretario, benigne annuit pro gratia, dummodo Archiepisc. Orator provideat vel per se, vel per suum Vicarium Gen., vel alteram personam in Eccl. dignitate constitutam decentiae loci, in quo provisorie erigendum est Altare portatile.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. n. 5094 die 30. Julii 1847.

#### CENOMANEN.

Ex parte Rmi Episcopi Cenomanen. S. R. C. proposita sunt sequentia Dubia pro opportuna declaratione, et solutione, nimirum:

1) An interdicenda sint Altaria portatilia si nullum appareat Reliquiarum Sepulchrum, licet adsint quinque Cruces?

2) An idem dicendum si existat Sepulchrum absque Sigillo?

3) Tandem, an id saltem exequendum quando apparet Sepulchrum, sed nullum extat appositi Sigilli vestigium?

Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunati, Secretario referente, rescripserunt:

Ad 1. „Clarius se explicet.“

Ad 2 et 3. „Dummodo lapis consecratus, seu Altare portatile integrum sit, in eo celebrari potest.“ n. 4805 die 11. Mart. 1837.

#### 13) Praescriptum pro Celebratione Missae.

Vd. Missa (in altari certo etc.)

#### 14) Privilegiatum.

Vd. Missa de requiem. (Privata. decr. n. 1653 et 3480 et sequentes Constitutiones). Indulg. altaris.

Obtento altari privilegiato pro certis diebus non potest in illis pro de-

functis celebrari, quod sit festum duplex de praecepto vel de Dominica. n. 684 die 24. Aprilis 1627; n. 2363 ad 1 die 13. Febr. 1666.

Non licere in feriis secundis et sextis, etiamsi occurrant festa primae et secundae Classis, in altari privilegiato Sacra facere pro defunctis. n. 1611 ad 4 die 25. Sept. 1649.

Quoad altaria perpetuo privilegiata et in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandae sunt missae de requiem ex obligatione, declaravit S. C.: per celebrationem missarum de festo currenti satis fieri dictis obligationibus et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratae missae de requiem ad formam Privilegiorum. n. 2185 die 1. Decbr. 1666.

Declarationem hanc editam, sicut praemittitur, extendendam esse ad altaria, non in perpetuum sed ad septenium vel aliud brevius vel longius tempus, ac non pro omnibus sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus nunc et in futurum quandounque privilegiata. Et proinde indulgendum fore, ut Missae, quae ibidem de festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione sive ex sola fidelium devotione celebratae fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia, perinde ac si Missae def. ad formam eorundem privilegiorum celebratae fuissent. n. 2488 die 13. Aug. 1669; n. 3029 ad 3 die 24. Julii 1683.

Ad dubium: an declarationes Alex. VII. et Clem. IX. (decr. sub num. 2385 et 2488) intelligantur etiam et in diebus dominicis et infra octavas Pasch., Pent. et Corp. Chr.? S. C. resp.: Declarationes supradictas intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas non potest dici missa de req. n. 3158 die 3. Aprilis 1688.

Nemini licere intuitu alicujus altaris privilegiati in aliqua Ecclesia exponere tabellam super januam ipsius Ecclesiae cum inscriptione: „Indulgenza per li morti“ sed tantum super ipso altari privilegiato, consuetis verbis: „altare privileg. pro defunctis.“ n. 2421 die 13. Aug. 1667.

Ad dubium: an in altari privileg. Ecclesiae vel Cappellae, ubi est instituta Confraternitas fidel. def., diebus dupl., aut infra octavam, quae excludit festum dupl., aut est Dominica, possit legi aut cantari missa de req.? S. C. resp.: Non posse; missam autem cantatam ex dispositione Testatorum in die anniversaria ipsorum obitus, etiam in duplici maj. contingentis, nec in expressis nec in aliis Ecclesiis seu Cappellis prohiberi. n. 3029 ad 4 die 24. Julii 1683.

Non videtur consonum dicere missam de festo singulis diebus in altari privileg., cum in Ecclesia (Monialium) quotidie fieri soleat s. Communio, quae in paramentis nigris dari nequit. n. 4348 ad 1 die 15. Julii 1769.

#### SYLVADUCEN.

Quamplures Parochiales Eccl. Vicariatus Sylvaducen. in Hollandia ex Apost. Indultis Altari Privilegiato co-honestatas fuisse comperiens hodiernus Vic. Apost. illud insuper animadvertit, quod in Precibus expressum non fuerit Altaria ipsa non esse fixa, quod in hujusmodi concessionibus omnino requiritur; ac proinde de hac substantiali omissione S. C. de Propaganda Fide certiore reddens, Apost. efflagitavit Indultum, ut memoratae hujusmodi concessionibus ratae habeantur etiam pro Altari portatili in enunciatis Eccles. donec Altaria fixa erigantur. Hujusmodi precibus SSmo D. N. Gregorio XVI. P. M. relatis per R. P. D. Joannem Brunelli enunciatae C. de Propaganda Fide a Secretis, S. S. man-

davit ut sententia S. R. C. exquireretur, ac proinde ab ejusdem S. R. C. Secretario iterata relatione, S. S. de speciali gratia rescribendum edixit: „Gaudeant adhuc concessio Indulto; dummodo quamprimum erigatur Altare fixum, cui adnexum esse debet Privilegium.“ Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 17. Febr. 1843. n. 4951.

Archiepiscopus Quebecens. exponit quod virtute Rescripti die 11. Dec. 1842 concessa fuerit Archiepisc. Oratori facultas declarandi privilegiata Altaria Ecclesiarum, quamvis tota Mensa consecrata non sit; humillime quaeritur 1.: An duo Altaria possint declarari privilegiata in eadem Ecclesia: 2. Enixeque supplicat, ut privilegium applicandi Indulgentiam sic concessam extendatur ad omnes et singulos Sacerdotes in iisdem Altaribus Sacrum peragentibus quocumque die per Annum, Dominicis tantum, et Festis I. et II. Cl. exceptis, ita tamen, ut idem privilegium valeat etiam si Missa Festi occurrerit, et non Missa de Requie celebretur. Et S. eadem C. rescribendum censuit: „Recurrat ad S. C. Indulgentiarum.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. n. 4988 ad 3 die 7. Dec. 1844.

#### 15) Privileg. tempore Expos. SS. 40 hh.

Vd. *Instructio Clem.* §. XXXIII. n. 9.

#### 16) In Process. SSmi.

*Ad dubium* Episcopi Albiganens.: an in die solemnitate et octava Corp. Chr. possint parochi saecul. et regul. deferentes SSimum processionaliter, deponere idem SSimum in aliqua Ecclesia seu super altare fieri solitum per vias ad instar Episcoporum? S. C. resp.: Posse. n. 2825 die 10. Julii 1677.

*Ad dubium*: an occasione process. publicarum possint Confratres Mortis

Perusinae sive alii erigere in viis altaria, ad quae sistat Sacerdos et SSimum deponat, tum intra quam parochiam, invitis et irrequisitis parochis? S. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Ordinarium. n. 3911 ad 11 die 9. Julii 1718.

Vd. *Benedictio cum SSmo in process.* (quoties, decr. n. 4574).

*Instructio Clem.* §. XXI. n. 12. 13.

*Ad dubium*: An in Processionibus, quae intra Eccl. cum SSmo Sacramento fieri assolent, liceat erigere altare portatile, quamvis super Sepulchris sistat, ut in eo reponi tantisper valeat SSimum Sacramentum, dum aliqua Stropha, vel Oratio canitur?

S. eadem C. respondendum censuit: „Cavendum ne Altare portatile Sepulchro immineat.“

Atque ita rescribere rata est, et declarare. n. 5102 ad 7 die 11. Sept. 1847.

#### 17) Reconciliatio.

Cf. *Altare portatile* (decr. n. 3415); *Consecratio altaris execrati*; *Reconciliatio Ecclesiae* (decr. n. 4577); *Reliquia* (in altari.)

In Dioecesi Augustae quamplurima miliaria altarium pollutorum, sola violatione sepulchrorum, ex quibus s. reliquiae extractae fuerunt in praeteritis Suevorum invasionibus. Ideo supplicat Episcopus pro facultate illa reconciliandi sola repositione Reliquiarum, iis tantummodo servatis caeremoniis, quae in pontificali rom. praescribuntur. S. C. resp.: In hoc casu gratiam petitam posse concedi. n. 3404 die 24. Nov. 1696.

Exoptante Archiepiscopo Benev. bases quatuordecim altarium ex plaste constructorum destruere eorumque ex marmore novam constructionem demandare petitur: an integris una cum Sepulchris ss. reliquiarum intactis permanentibus mensis altarium praedictorum, possit procedi ad novam eorum-

dem consecrationem, omissis caeremoniis ad repositionem reliquiarum pertinentibus. S. C. resp.: In hoc casu gratiam petitam concedi posse. n. 3404 die 24. Nov. 1696.

#### 18) SS. Sacramenti (locus).

Vd. *Sedes Celebrantis et Ministr.* (decr. n. 4996). *Tabernacul.*

#### 19) Sancti vet. Testamenti.

*Ad dubium*: an in Ecclesiis Dioecesis Imolen. altaria Sanctis veteris Testam. Prophetis dicata essent permittenda? S. C. resp.: Antiqua tantum permittat. n. 3438 die 3. Aug. 1697.

Vd. *Altare*, (nominatio).

#### 20) Super quo sunt cadavera, non debet celebrari.

Vd. *Dedicatio Ecclesiae*. (In qua sunt Sepulchra)

Non potest celebrari in altari, sub quo sunt sepulta cadavera defunctorum. n. 818 die 11. Junii 1629.

Patronus petit, injungi Vicario Capitulari, ut amoveat suspensionem a celebratione in altari Cappellae ejus patronatus positam a defuncto Episcopo, ex quo sub suppedaneo altaris condita sint defunctorum cadavera.

S. C. resp.: *Nihil.* n. 1828 die 9. Junii 1657.

In eo altari, sub quo vel sub ejus pradella humana sunt corpora defunctorum, non debet celebrari missa, donec alio transferantur. n. 2363 ad 7 die 13. Febr. 1666. Et in decr. n. 4332 die 7. Julii 1766 C. S. R. concessit, ut interim, si missae ex aliqua obligatione in eodem altari celebrari deberent, celebrentur in alio.

#### ALBIGNANEN.

Reverendissime Domine uti Frater. Supplex Libellus Fratrum Vassallo Opipidi cui nomen vulgo Centolupo istius

Dioecesis Albiganen. quo postulabant ut a suspensione redderetur immune Altare S. Catharinae eorum Familiae jurispatronatus ex eo quod prope illud, et praecise ad distantiam duorum cubitorum tumulatum fuerit Cadaver Joseph Patruum ipsorum, a S. C. Ep. et Reg. sub die 27. Jun. anno vertente ad hanc S. R. C. fuit transmissus, ut super re quid de jure esset decerneretur. Sed quum nihil novi hoc in negotio statui necesse sit, preces propterea in Audientia hujus diei a R. P. D. Secretario relatae sunt Sanctissimo D. N. Gregorio XVI. P. M., S. S., omnibus attente consideratis, mandavit rescribi Amplitudini Tuae, et committi ut dummodo constet praefata in Tumulatione bona fide tali modo peracta, servatas fuisse dispositiones S. Canonum in Capite *Percipiendum* 13. *quaest.* 2., nec non Constitutionem S. Pii Papae V. in Bullario Novo: *Quinam in ordine* §. 6. et obtineatur finis per easdem leges intentus, ut scilicet Cadaveri Altare non immineat, et aliqua distantia inter illud ipsum Cadaver intercedat, pro tuo arbitrio et prudentia, si ita in Domino expedire judicaveris, declarare valeas Altare praedictum suspensioni non subjacere, etsi ornatum Sepulchri ipsius proprius ad suppedaneum Altaris extendatur.

Haec Sacratissimi Principis mandata dum exequor, voluntatemque designo, diuturnam Amplitudini Tuae exopto felicitatem.

Romae 9. Sept. 1844 n. 4977.

Rmo D. uti Fratri Episcopo Albiganensi.

#### 21) Titulus (Officium).

Propter solos titulos *Altarium* Officia non debeantur. n. 769 die 28. Aug. 1628.

#### 22) Translatio.

*Ad dubium*: an posse quaedam altaria seu Cappellas ob missas audien-

tium commoditatem, processiones faciendas et prospectum aliorum altarium praesertim majoris, et locis, ubi de praesenti sita reperiuntur, amoveri et alio collocari, transferendo s. lapides, nempe altaria portatilia et imagines integre ad nova, ita ut sit tantum quaedam simplex, et mera hujusmodi altarium de uno ad alium locum translatio? S. C. resp.: *Dilata.* n. 3415 ad 5 die 30. Mart. 1697.

## 23) Vacuum.

Audita relatione Ordinarii Pisauri super suspensione altaris maj. Societatis SSmi facta in visitatione, in qua habetur, quod, cum inventum fuisset dictum altare vacuum, fuit illud vigore decretorum prohibentium celebrationem missarum ad altaria vacua, suspensum, donec fuisset repletum, S. C. censuit: lis non obstantibus in casu, de quo agitur, ex speciali gratia, posse tolerari. n. 2723 die 9. Febr. 1675.

## AMBO.

(Ornatus.)

Vd. *Sedes Dignit. et Canon.* ad altare (decr. n. 4590) *Pulpitum; Cathedra Concionat.*

## AMEN.

## 1) Omittitur.

Plures Theologi, inter quos S. Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rituali Romano; quaeritur ergo: utrum adhibenda sit vel omittenda? S. C. resp.:

„Strictim in casu servetur Rituale Romanum.“

N. 5188. Romae 9. Junii 1853.

## 2) In Ordinatione.

*Ad dubium:* Amen, quod Pontificale praescribit respondendum in traditione

vel materiae, vel sacrorum indumentorum in Ordinatione, dicendum est ab ipso Ordinando, vel ab adstantibus? S. C. resp.:

„Juxta consuetudinem ab Ordinando.“ n. 4669 ad 6 die 12. Novb. 1831.

## AMICTUS.

## 1) Materia.

*Ad dubium:* an amictus confici possit ex tela quadam composita ex lino et Gossippio subtilissimo, quem vocant Mussulo? S. C. resp.: *Lectum.* n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd. *Paramenta* (materia, decr. n. 4563).

## 2) Usus.

Regulares Augustini caputio, prout utuntur alii Regulares, amictu cooperto incedere debent. n. 1189. die 19. Nov. 1639.

Vd. *Subdiaconatus.*

## S. ANASTASIA.

## 1) Commemoratio.

Commemorationem s. Anastasiae in 2. Missa Nativitatis Dom. *ubique* faciendam esse. n. 2859. ad 1 die 12. Mart. 1678.

## 2) Festum.

Festum s. Anastasiae ab omnibus Suffraganeis et in omnibus sanctae Severinae Provinciae locis tamquam de praecepto celebrandum esse. n. 3967 die 7. Sept. 1726.

## S. ANDREAS APOST.

## 1) Translatio.

Vd. *S. Thomas Ap.* (decr. n. 4491.)

*Ad dubium:* 1. An, occurrente festo S. Andreae Apostoli in Dominica I. Adventus, transferri debeat tamquam in diem propriam in primam diem

## S. ANDREAS CORS.

(Oratio.)

Ad relationem *Benedictinor. Einsidlen.* resp. S. C.: In Festo S. Andreae Corsini 4. Februar dicenda est Oratio: *Deus, qui in Ecclesia tua nova semper etc.* n. 4044 ad titul. *de Oration.* Die 5. Maii 1736.

## S. ANGELA MERICI.

URBIS ET STATUS ECCLESIASTICI.

Praeses, et Moniales tam Asceterii, quod a S. Ursula in Urbe dicitur, quam aliorum Monasteriorum ejusdem Instituti, quibus et petitiones accessere multorum utriusque Cleri Urbis, et aliarum Dioecesium, SSmo D. N. Pio VII. S. M. humillime supplicarunt pro extensione ad utrumque Ecclesiastici Status Clerum Officii, et Missae S. Angelae Mericiae Virg. Brixienensis praedicti Ordinis Fundatricis anno 1807., S. Virginum catalogo adscriptae cum Lectionibus II. Nocturni, et Orat. prop. jam sub die 22. Dec. anni 1768. approb., et concess. Monialibus Ursulinis in Urbe, cum additione ad VI. Lectionem, et approbatione Elogii in Martyrologio Romano inserendi.

Et Sanctitas Sua, ad S. R. C. Secretarii relationem, antedictum Officium cum Missa cum additione, et elogio novissime revisis, et approbatis ad utrumque Urbis, et Status Ecclesiastici Clerum extendit, recitanda, et respective celebranda die 31. Maji cujuslibet anni ritu dupl. min. n. 4521. Die 6. Aug. 1816.

ELOGIA ADDENDA MARTYROLOGIO ROMANO.

Die 17. Jan. Brixiae S. Angelae Mericiae Virginis Institutricis Monialium S. Ursulae, quarum praecipuum munus esset dirigere adolescentulas in vias Domini. Ejus festum pridie Cal. Jun. Pius VII. recolendum indulsit.

Decembris, translato quocumque Festo etiam aequalis ritus, sed minoris dignitatis eo die occurrente, juxta Rubricam Breviarii P. Conventualium de Translatione Festorum num. 14., in quo citantur Decreta S. R. C. 5. Sept. 1739, et 21. Jan. 1741. (quibus eadem S. C. adprobat praedictum Breviarium) inserta in Constitutione Benedicti XIV. incipien. „*Praecipuum*“ 16. Febr. 1742. eidem Breviario praemissa? Et quatenus affirmative;

2. An tali privilegio gaudeat etiam Festum S. Thomae Apostoli impeditum a Dominica IV. Adventus?

S. eadem C. rescribendum censuit: Ad 1, et 2. „*Negative*, nisi in casu, quo infra annum, juxta generale Decretum de die 13. Mart. 1804, non supersit ullus dies vacuum, quo reponi possit.“

Et ita declaravit, et servari mandavit. N. 4500. Die 20. Sept. 1806.

## 2) Vigilia.

De *anticipanda Vigil.*, Vd.: *Vigilia festor.*

## S. ANDREAS AVELL.

## 1) Ritus.

*Ad dubium:* Extat nec ne generale Decretum, cujus vigore Festum S. Andreae Avellini Conf. elevatum sit ad ritum dupl. min. pro Eccl. universali?

S. ipsa C. respondendum censuit:

„*Non extare Gen. Decretum.*“

Atque ita rescripsit, declaravit, servari mandavit die 29. Martii 1851. N. 5157 ad 4.

## 2) Translatio.

Festum S. Andr. Av. occurrens cum festo Patrocinii b. V. M., Vd. *Patrocinium b. V. M.* (decr. n. 4136.)

Festum S. Andr. Av. occurrens cum Dedicacione Basil. S. Salvatoris, Vd. *Dedic. Bas. S. Salvatoris* (transl., decr. n. 4142.)